







1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*



27.  
SYNOPSIS ANALYTICA

LIBRI CONTRA  
COELESTES PROPHE-  
TAS, QVEM REVERENDVS  
PATER D. M. LVTHERVVS IN CAV-  
sa Sacramentaria scripsit. In forma thesium propo-  
sita, ad quas in solenni publica disputatione  
sub auspicijs Seruatoris Christi

*Præside*

GEORGIO MYLIO,  
S. THEOLOGIAE DOCTORE  
& Professore publico, atq; prò tempore Re-  
ctore, & facultatis Theologicae De-  
cano,

*Respondebit pro summo in Theologia gra-  
du consequendo*

M. BERTHOLDVS  
STARCK MVLHVSINVS, ECCLIE-  
siae Thomæpontanae pastor, die XX. Septem-  
bris hora & loco consuetis.



I H E N A E

Tobias Steinman imprimebat, anno 89.

*Accipi 20  
O. Oct. 158*



AMPLISSIMIS ET PRÆ-  
STANTISSIMIS VIRIS DD. IOSIAE  
MARCO, AVLAE VINARIENSIS  
CONSILIARIO,

ET  
MICHAELIO WERTHIO

Aule Coburgensis Cancellario, Iureconsultis celeberrimis  
Dominis & amicis suis colendis.



DEPLORAVNT, VIRI AMPLIS-  
simi, patroni colendi, patres quidam Ecclesiastici tempo-  
rum suorum infelicitatem, cum errorum atq; haeresium inuale-  
scentium furores, & summam sui seculi ingritudinem erga re-  
velatam Evangelij lucem conspexerunt, adeò vt Athanasio et-  
iam hac occasione exclamare libuerit, ὦ κύριε, εἰς ἕς κατέβη με τρυφήνας.  
Nunquam mihi magis in hunc modum exclamare libuit, quàm hoc tempo-  
re, quo maximæ mundi parti sordere quasi videmus beatissimam illam do-  
ctrinæ coelestis gratiam: plurimis hoc vnum curæ esse conspiciamus, vt Eu-  
angelici depositi sinceritatem corrumpant: qui reliqui sunt, ex grege Eu-  
angelico, eos ita iam segnescere animadvertimus, vt pro puritate doctrinæ  
conseruanda vix magis elaborent, quàm si id triobolare duntaxat esset κερμή-  
λιον. Cætera scribere qd attinet? Quod scripta Lutheri, quæ Polemica vocan-  
tur, nunc à quàm plurimis exautorantur, & quia Calvinistis vnguis ea sunt  
in oculis, à multis eo loco haberi solent, vt ab Ecclesiarum deposito exi-  
menda videantur: quam speciem habet quæso? quid consilij subest? quam  
rationem obtinet? An per quæ scripta nobis, si quæ adhuc superest, parta  
est in doctrina sinceritas retentaq; , ea nòs iam ab Ecclesia profligabimus?  
An hoc Lutherus de posteritate meruit? O ingritudinem. Et quid est tan-  
dem causæ obsecro, cur ista scripta ex Ecclesia proscribantur? Si rebus ipso  
inest falsitas, cur ea non notatur & conuincitur? Sin modus scriptio-  
nis reprehenditur: an hoc tanti est, vt propterea libri integri ignominiam exilij  
sustineant? Imò qui nam isti sunt, qui diuinum in heroe isto spiritum iudi-  
care & damnare ausint? Præclarum verò Calvinistarum de nostra Eccle-  
sia meritum, propter quod tantisper istis gratificemur, vt boni istius tanti,  
tamq; diuini iacturam faciamus. Et quæ hic quæso æquitas conspicitur? Sa-  
ceramentarijs vix iam quicquam scribere librorum, præter Polemica consue-  
tum est. Hæc passim venalia prostant, hæc omnes Bibliopolarum officinas,  
adeoq; mercatus omnes complent: hæc in omnium manibus impunè ver-  
santur. Quæ verò Lutherus diuino spiritu actus contra istos scripsit, ab Ec-  
clesia exulent? O tempora, o mores, Si quæ Ecclesiam premunt aduersita-  
tes &



tes & ærumnæ, aulin affirmare, hanc vel solam ingratitude esse, quæ om-  
nem istarum atrocitatem abundè promereatur. In veterum scriptis sic iudi-  
catum fuit, si comparatio instituenda sit, summam laudem ea scripta mere-  
ri, quæ pro defensione veritatis aduersus hæreticos sunt conscripta, quippe  
in quibus vis Spiritus miranda se præcipuè exeruerit. Hinc Polemica Augu-  
stini scripta, reliquis omnibus longè præferuntur. Idem apud pios & de re-  
ligione sincerè sentientes omnes, de Lutheri scriptis debebat esse iudicium,  
idque eo magis, quod ea ingruunt tempora, quibus posteritati magnus isto-  
rum scriptorum vñs futurus est. Quæ cum ita sint, in eam curam nostro  
ordini sedulo incumbendum puto, vt pro horum scriptorum autoritate tu-  
enda, saltem quantum in nobis est, opis afferamus. Quod ego meo loco  
facturum me hoc Analytico librorum istorum instituto per publicas dispu-  
tationes vtilissimè confido. Cuius instituti primitias vobis, viri Amplissimi  
dedico atque consecro, maiorem in modum obsecrans, vt hoc animi mei  
vestrorum honorum commodorumque studiosissimi pignus atque testimoni-  
um interpretemini, & me, quo cepistis, fauore prosequi nunquam desina-  
tis. Valet. Datæ 13. Sept. 1589. Ienæ.

G. Mylius D.



Libri



ΣΥΝΟΠΣΙΣ ΑΝΑΛΥΤΙΚΗ

libri Lutherani adversus cœlestes Prophe-  
tas in causa Sacramentaria.

I.



**L**ibri, qui à B. Luthero in causa Sacramen-  
taria scriptus est, ἀντιπροφήκῃς σωβρῶν  
proposituri, non abs re fecerimus, si προλεγο-  
μενα primùm præmittamus: tum partes li-  
bri breuiter & perspicuè exponamus: tan-  
dem aphorismos ex tota tractatione exce-  
ptos, in usum veritatis cœlestis studiosorum fideliter anno-  
temus.

II. Argumentum libri, quemadmodum titulus ipse  
præ se fert, ad genus causa διανοικῶν pertinet. In eo enim to-  
tus est Lutherus, ut non tantùm veritatem sanæ doctrinæ,  
de vera & substantiali presentia, exhibitione & sumptio-  
ne Corporis & Sanguinis Dominici in Sacrosancta Synaxi  
tueatur: sed furores etiam & strophas infelicis illius, Sacra-  
mentariorum omnium nostri seculi, Patriarchæ, Carolstadij  
nimirum, detegat & refutet: & sub unius ac primæ actionis  
Sacramentariæ specimine, totius causæ Sacramentariæ ἐτερο-  
διδασκαλίαν, καὶ παραίσκιον μαλακολογίαν representet. Scri-  
ptum ergo totum est, ut Theologi appellant, λεγυκῶν: ut  
Politici loquuntur, πολεμικῶν: ut Sacramentarijs cavillari  
placet, ἐριστικῶν καὶ ἐηλιτευδικῶν, & ipsorum iudicio, tantùm  
non in sanosorum scriptorum censu computandum.

III. Status libri δικαιολογικὸς est. Queritur enim, Iu-  
rène factum sit à Carolstadio, qui in ipso reformata Ecclesia  
gremio versatus, deserta sanioris doctrinæ, atq; nuper à fer-  
mento Missatico repurgata veritate simplicitatē, ἰδιογνωμῆ-  
νον & παραπροβῶν ἐπέρατ, negatq; Corporis & Sanguinis  
Domi-



Dominici in S. Synaxi presentia ἰσώδῃ, schismatis telam or-  
fuerat, quo ἡρώδης ἰσῆγον excitari à Satana vix vllum pote-  
rat.

III. Scriptus est Liber anno illo fatali planè ac funesto  
1525. quo & Luthero haud ita pridem ex Pathmo Vite-  
bergam reuerso, extremum ab Imperatore R. periculum im-  
minebat; & Papa celebrato Iubileo in perniciem tenella  
Ecclesie totus incumbibat: & fanaticus Anabaptistarum fu-  
ror totis agminibus erumpebat: deniq; turba rusticana œstro  
seditionum acta, in fata sua ruere cæto impetu passim cerne-  
batur. Quo tempore quemadmodum pacis præco strenuus fu-  
it Lutherus, qui ab armis & seditione fideles omnes acriter  
dehortabatur: ita iustitiam etiam piè dilexit, hoc est, gna-  
uiter aduigilauit, ne veritatis depositum, sibi à Deo peculia-  
riter creditum, damni quicquam ab autoribus schismatum  
acciperet: Vt est sanè fidelis doctoris cuiusq;, de patrocinio  
veritatis vel periculorum quorumcung; metu, vel publica-  
rum calamitatum terrore, nihil quicquam remittere.

Zach. 8.

V. Occasionem libro scribendo hominis, quem dixi, fa-  
natici intemperies, & fœdissima Mysterij Eucharistici de-  
prauatio præbuit, quam ille edito in publicum libro, doctri-  
naq; Lutheri virulentissime exagitata admisit. Qui tamen  
liber non inuito, quin imò hoc ipsum maxime optante Luthe-  
ro, in publicum prodijt: & adeò quidem optante, vt huius  
editionem aurei nummi donatione à Carolstadio redemerit.

VI. Exagitant hoc factum odiosè Sacramentarij, &  
partim Φιλοθενκίαν interpretantur in Luthero, qui litis mate-  
riam auro etiam emerit: partim hinc autorem schismatis Sa-  
cramentarij eundem proclamandi, ansam sumunt. Verum  
vtrumq; candore sua seclæ proprio, hoc est, planè nullo.

Ambros.  
Volfius  
p. 1. con-  
tra funda.  
Luth. doct.  
post præ-  
fationem.

VII. Enimuerò cum Carolstadius & coràm, & per lite-  
ras Luthero scriptiones aduersarias frequenter iam fuisset  
comminatus, nec rarò conquestus itidem, per Lutherum sta-



re, quo minus Typographia beneficium obtingere suis scriptis  
posset, sic haud obscure innuens, quasi à scriptis suis Luthe-  
rus sibi metueret: simul autem expertus fuisset Lutherus, hy-  
pocrita illius fanaticos errores, quos viua voce facile tegebat,  
& specie sanctimonia palliabat, in lucem proditos, nocere Ec-  
clesiae minus posse, quam clandestinò serpentes: neq; de sua in-  
nocentia, bonitateq; causa testari luculentius, neq; de Ecclesia  
mereri praclarus potuit, quam ut tradita hypocrita merce-  
de iniquitatis, cum fructu publico eliceret, quod cum Ecclesiae  
damno haud exiguo diutius fortè latiturum fuerat.

VIII. Iam cum Luthero in Pathmo agente, Carolsta-  
dius Ecclesiam Vitebergensem tum temporis & pacatissimam  
& florentissimam, putidissimis suis paradoxis foedissimè tur-  
barit: & ad sedandas illas turbas Luthero Vitebergam ex  
Pathmo reuerso, Carolstadius deserta statione Orlemundam  
se contulerit, & per vim ibi sine vocatione raptato pastoratu,  
Turingiam vicinam Sacramentarisimo suo impleuerit, ad  
quem propulsandum publica Electoris autoritate Lutherus  
tandem missus fuit: an esse potest frons aliqua tam perscripta,  
ut schismatis istius autorem insimulare sanctissimum virum  
Dei ausit?

Vide Sle-  
danum  
lib. 3.

IX. Sed ad huius calumnia refutationem vnus Phi-  
lippi Melanchthonis sufficit autoritas, cuius in praefatione  
libelli de Veterum sententijs de Cæna Domini hac verba le-  
guntur: Carolstadius primùm excitauit hunc tumultum: Et  
mox: Controuersiam de Cæna Domini, tantùm odio Lutheri,  
non aliqua pietatis opinione mouit. Etenim cum eius vox  
ipsius à Luthero improbata esset, cepit iste inflammatus im-  
mani cupiditate vindicta, querere causam vendibilem, qua  
Lutheri existimationem prorsus obrueret. Bona pars Ger-  
mania testari possit, nihil me in hac re fingere. Quan-  
quam si testibus opus sit, libelli ipsius aduersus autorem dicent  
certissimum testimonium. In his apparet, hominem ne ra-  
tione



tionem quidem aliqua in speciem probabili motum esse ad scribendum.

X. Genere scriptiois admodum acri Lutherus est usus. Quo nomine si qui censoria virgula illum dignum iudicant, hi ne sapiendo faciunt, ut nihil sapiant. Nam ut exempla Sanctorum, & Scripturae auctoritatem hic non adducam: rationibus gravissimis factum hoc non caruit. Fuit Carolstadius, ut habent Philippi verba, loco modo allegato, homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum unquam humanitatis officium aut intelligere, aut facere animadvertimus, tantum abest, ut in eo significatio aliqua Spiritus sancti animadversa sit. Imò extiterunt in eo manifesta signa impietatis. In tota enim doctrina solebat *ἰσθαι* *ἡν ἡν* *συνία* *ἡν*. An tali nodo alius querendus erat cuneus? Taceo turbas ab ipso passim datas: taceo labem & maculam, quam ille Ecclesiae nuper reflorescenti asperserat: taceo periculum existimationis, quod inde redundabat in Lutherum, qui nullis rationibus a se amoliri poterat suspicionem Pontificiorum, quin illum conspirationis illius socium esse subinde calumniarentur.

Prou. 26.  
1. Cor. 4.  
Tit. 2.  
2. Cor. 9

XI. Scopus autem scripti hic est, Non tantum asserta doctrina, quam haecenus de Coena tradiderat, veritate, crassum & bardum illud delirium Carolstadij, qui verba Institutionis, Hoc est corpus meum, sic interpretabatur, Hic sedet corpus meum, explodere: verum etiam matricem ipsam totius Sacramentarij, figuratam sc. & tropicam verborum Christi expositionem, eiusdemq; corporis & sanguinis a Coena Dominica absentiam, excindere, p qua utraq; tuenda in odium doctrina & dignitatis Lutherana, Carolstadius arma contra Lutherum sumpserat. Ut mirari satis nequeam eorum impudentiam, qui Lutherum ante motum hoc certamen a primo impugnati Papatus tempore, semper etiam in Sacramentaria sententia fuisse, comminisci non erubescunt.

Amb.  
Volfius  
in hist. Au.  
Conf.

Liber





Ortho-  
xus con-  
sensus.

XII. Liber ipse contra cœlestes Prophetas inscribitur. Hoc nomen tum à Luthero sortiti sunt hi, qui citra vocatio- nem affectato Ministerio, de interna ac diuina vocatione ad Ministerium, de viua Dei voce, de Visionibus & colloquijs cum Deo multa iactitabant: quorum primarius patronus fuit Carolstadius, qui ipse quoq; scripto publico confessus est, sibi apparuisse virum quempiam, à quo sententiam suam de negotio Cœnæ primùm acceperit, quem ille Deum Patrem fu- isse persuasus sit.

In Subfi-  
dio Eucha-  
ristiæ.

XIII. In quem eundem modum Cinglius scripsit, sibi in summo angore & difficultate defendenda suæ sententiæ de Cœna constituto, in somnis  $\delta\pi\theta$   $\mu\eta\chi\alpha\upsilon\eta\varsigma$  monitorem apparuisse (Ater fuerit, an albus, nihil memini, inquit) à quo re- sponsionis & defensionis materiam acceperit. Dignas habent labra lactucas.

XIIII. Partes libri sunt quatuor, Proœmium,  $\alpha\iota\alpha\sigma\kappa\alpha\delta\eta$  false sententiæ duplex:  $\nu\acute{\alpha}\lambda\alpha\sigma\kappa\alpha\delta\eta$  doctrinæ vera, una, eaq;  $\epsilon\gamma\sigma\epsilon\alpha\phi\theta$ . Quia enim partim scripturis, partim rationum argumentis, Carolstadius sententiam suam firmare niteba- tur, proœmio absoluto, istorum firmamentorum partem pri- mam Lutherus demolitur. Cui tractationi mox confirma- tionem veræ sententiæ, ex planis Scripturæ fundamentis sub- necit. Quo peracto, rationum aduersantium roborâ Luthe- rus demolitus, suæ causæ nullo ex rationibus requisito firma- mento, mox receptui canit.

XV. In proœmio  $\tau\acute{\alpha}$   $\pi\epsilon\sigma\sigma\omega\mu\eta\kappa\acute{\alpha}$  circumspectissimè tra- ctantur. Prospicit enim Lutherus futurum pro temporum ratione, ut in diuersa hominum iudicia causa ista incidat. Hic animos munit præceptor optimus, ut firmato iudicio, ni- hil unde quaq; damni accipiant: fidelissimi doctoris hac in parte functus officio, cuius partes sunt, non tantum doctri- nam puriorem fideliter proponere: sed quo modo ea ad usum presentis seculi accommodanda sit, diligenter ostendere.

In per-



16. In personarum ordine primi sunt Pontificij, qui ex isto Ecclesia Evangelica schismate, tripudij materiam captant, imò in spem amplam veniunt, ruituræ nostræ Ecclesie. His fidei Heroica Gorgona opponit Lutherus, sic argumentat.

Si quæ ex Deo sunt opera, extingui vi humana nequeunt: quæ ex eodem non sunt, potentia nulla possunt conservari neq; debent etiam: friuolum est, vel de istorum interitu anxios vel de horum conservatione sollicitos nos esse.

Doctrina Evangelij reformatæ alterutra est conditio, hoc est, aut ex Deo est, & sic extirpari nequit: aut non ex Deo est, & sic conservari humana potentia nequit.

Igitur friuolum est, interitum eius metuere, si ex Deo est, vel de conservatione laborare, si ex Deo non est.

Addit & alterum nihilo minus Achillei roboris argumentum:

De conservatione causæ alienæ, Deiq; solius propria, quæq; nobis nihilo, ipsi plurimum constat, & neq; servata lucrum, neq; amissa damnum nobis parit, meritò nostrum quisq; potest esse securissimus.

3. Causa Evangelij sic est, ut dixi, comparata. Igitur de eius conservatione possumus & debemus esse securissimi.

3. Sic animis piorum munitis contra Papistarum tripudia, quæ metum nostratibus incutere queant, corollarj vice talem σοχασµόν obijcit: Deus per contraria non rarò agit, ita ut cum maximum Verbo atq; operibus suis incrementum est daturus, summè ea infirmari patiatur, quò magis impios stultitia & infirmitate ista confundat excæcet atq; induret: cuius rei in Cruce Christi exemplum nobis evidens relictum est.

Quid igitur? si per præsens schismatis istius scandalum idem in Ecclesia sua Deus efficiat. Viderint Pontificij, quàm probè Vates iste diuinaerit. Nos quidem mirandæ Dei omnipotentia gratias immortales meritò agimus.

XVII. Secundo loco personam infirmorum, qui in cæ-

B

na usu



Rom. 14.  
23.

na usu ex hoc dissidio turbantur, Lutherus in hoc graui scandalo considerat. Qui tales sunt, ut in causa ista hesitant, his consultissimum fore putat: si omisso ad tempus Eucharistiae usu, in Verbo Dei, fide ac charitate se exerceant. Nititur hoc consilium ratione Paulina, qui dubio animo vetat in sacris quicquam fieri: quia quicquid non ex fide proficiatur, peccatum sit.

Leuit. 26.

XVIII. Tertia aduersariorum est persona, quos graphicè admodum depingit, idq; primùm hac ferè nota. Sacramentariorum & pavidus est spiritus, & simul etiam audacissimus atq; ferocissimus. Sed diuerso utrumq; tempore. Pavidus est ac timidus, cum ex assensu hominum atq; approbatione multorum, nondum vires acquisiuit: hinc humi repit, per cuniculos agit, clanculum virus suum spargit, fugit, nemine persequente, terret eum sonitus folij volantis, & fugit ad eum, quasi ad gladium. Vicissim, ubi applausu hominum potitus est, ubi sectam suam inualuisse videt: hinc nihil isto est ferocius, nihil audacius atq; truculentius. O vatem in re verissima diuinum.

2. Quid istuc verò est re. tñis? Hæc nota Spiritum arguit mendacem. Qui enim Spiritu Domini agitur in causa Religionis, in eo vis intrepida Spiritus cœlestis sese manifestè exerit, nec quicquam moratus vel applausum, vel aduersationem hominum, vel solus, vel cum paucissimis, causam veritatis apertè tuetur. Hæc vis olim in Elia & Ieremia: nostro seculo in Luthero se exeruit. At timide profiteri causam veritatis, per occultas strophas sese clam insinuare, & tandem prætexere, se olim non fuisse in tanta luce, & Spiritus plenum robur nondum sensisse: hoc fanatici, hoc male sibi de veritate conscij Spiritus esse, Lutherus admonet, contra quem in bona causa nostra intrepidè & summa cum fiducia nobis agendum esse docet. O, monitorem, in re graui, fidelissimum.

XIX. Altera nota ad modum doctrinae tractandæ Sacramentarijs vsitatum pertinet. Ad



Ad hanc notam explicandam aliquot hypothefibus præ-  
missis, opus est.

1. Deus opt. max. ex paterna bonitate, aperto cle-  
mentie sue thesauro, doctrinam Euangelij nobis quasi postli-  
minio rursus est largitus.

2. Huic cœlesti beneficio Satan est infensissimus, &  
quod vi hæcenus efficere non potuit, nunc dolis ac fraudibus  
tentat per Pseudopphetas.

3. Bifariam autem in doctrina Euangelij nobiscum  
agit Deus. 1. externè: deinde internè. Externè quidem, per  
vocem prædicationis, & σφραγίδας, id est, sigilla Sacramen-  
torum. Internè per Spiritum sanctum, fidem, & similia dona.

4. Modus autem atq; ordo diuinæ actionis hic est, ut  
externa organa præcedant: internus fructus sequatur: adeo  
ut stet Deo sententia, interna illa dona, nisi per externa ista  
organâ nemini conferre. Luc. 16. Tit. 3. Rom. 1.

Hunc ordinem diuinæ actionis partim inuertit, partim  
prorsus è medio tollit Spiritus Sacramentarius: illud quidem  
per mutando diuina: hoc, humana in res sacras inferendo:  
quod utrumq; vitiosum est Exempli gratia, Aquam Baptismi  
constituit Christus, quo organo nobis interna conferatur rege-  
neratio, id est, Corporis & Sanguinis sui Sacramentum pro-  
pinat idem, ut hoc dignè frui, cum Christi Spiritu, intus per  
fidem coalescamus. Hic ingentes de Spiritu atq; interna fi-  
dei operatione clamores Spiritus iste Sacramentarius excitat,  
negans Aqua fieri posse, ut renouemur: cibo & potu fieri  
posse, ut cum Spiritu Christi coniungamur: Spiritus hæc esse  
munia, fidem hinc solam operari. Hæc ordinis diuini est inuer-  
sio, qua Spiritus ipsius habitus, pro medio consequendi Spiritus  
ponitur. / gratia ante gratiam haberi docetur, & non tam  
ostenditur, quomodo S.S. ad nos, q̄ quomodo nos ad S.S. venire  
debeam. Rursus ubi de externis reb. Christus nil præcipiens in

B 2

purita-



puritate mentis atq; fidei interno obsequio acquiescit, hic  
 Spiritus Sacramentarius statutis externis omnia complet,  
 Imagines atq; altaria non fert in templis, panem azymum ex-  
 terminat, nomen Missæ & vocabulum Sacramenti abomina-  
 tur, elevationem divi denouet, habitum sacerdotalem atq;  
 alios ritus adiaphoros anathemate ferit: hoc est, abrogat  
 sancita, abroganda constituit, & quod Lutherus scitè dixit,  
 Faren scil. heraus/wa Gott hienein wil / Vnd faren hie  
 nem/wa Gott heraus wil. Quod Satanicum esse, nemo pi-  
 us est, quin intelligat.

XX. In controuersia ipsius tractatione ἀναστροφῆς  
 prima, primùm hoc nascitur πρόβλημα: Rectène fecerit Lu-  
 therus, qui Cœnam Dominicam, Sacramenti vocabulo in-  
 digitet. Partes ἐγγραφῆς hæ sunt.

1. ὑποφορὰ Carolstadij est, Vox ista est ἄρραφῶ. Con-  
 cludit, Vsum eius repudiandum esse.

2. συγχώρησις Lutheri, Esse ἄρραφον: à Christo neq; sic  
 appellatam esse Cœnam, neq; ut sic appelletur, præceptum  
 esse.

3. ἀνθυποφορὰ: Sed neq; ab eodem, ne sic appelletur,  
 prohibitum esse.

4. ἀντέγνημα: Quis igitur Carolstadio interdicti isti-  
 us potestatem fecit?

5. ἀνλιναθηγογία Carolstadij. Sed non nominatur Cœna  
 eo, quo Christus appellauit nomine & Apostoli.

6. ἀπόφασις Lutheri. Nam & Cœna Domini, & Panis  
 ac Calix Domini appellatur, quæ sunt ἐγγραφα vocabula.

7. ἐπανώρθωσις. Sic igitur instituenda Carolstadij fuisset  
 accusatio, si quid in ea valoris esse debuisset, Lutheranos præ-  
 cipere, ut Cœna appelletur Sacramentum, & prohibere, ne ea-  
 dem Cœna nuncupetur.

8. λύσις: At hoc ille salua conscientia de nobis scribere  
 non



non potuit. Liberrimus enim cuiq; appellationum istarum usus, tanquam rei adiaphoræ, conceditur.

9. *τὸ ἐπιτοπία*: Tyrannidem igitur in Ecclesia exercet Carolstadius, qui libertatem istam in fidelibus carpit.

10. *ἐπέζῳγῆσι*: Christus corona in Scripturis nusquam appellatur. Nec peccauerit tamen, qui eum cordis sui coronam dixerit. Vocamus articulos fidei, capita Bibliorum. Nemo tamen ista meritò reprehendit.

11. Conclusio Lutheri talis est, Ut, quia libertas Christiana pari cum articulis fidei loco nobis esse debet, ita ut pro ea retinenda, facienda sint, quæcunq; contra ipsam prohibentur; omittenda autem, quæcunq; contra ipsam præcipiuntur, & usurpatio istius vocabuli ad libertatem Christianam omninò pertinet: qui aliàs Sacramentum sic non appellaret, si sit cum gregalibus Carolstadij, tum verò demum necessariò sibi ista appellatione utendum sciat, ne quid libertatis Christianæ usus ac professio damni accipiat.

XXI. Secundum caput est de presentia Corporis & Sanguinis Domini in Cœna. Eam Carolstadius, Sacramentariorum Patriarcha, prorsus negavit. Hic fons, hæc origo fuit Sacramentarismi: hæc eadem eius hodiè quoq; forma est atq; anima. Garriunt aliqui non de substantia corporis Christi presentis in Cœna amplius esse inter partes controversiam: sed de modo duntaxat presentie. Hos aut nihil habere de controversia ista perspectum, aut gnauiter esse impudentes, necesse est.

XXII. Sententiæ suæ fundamentum Carolstadius ex Scripturis primarium hoc habuit. Corporis in Cœna manducandi in Verbis Institutionis mentionem nusquam fieri. Nam quod sic habeant verba Christi, Accipite, edite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Facite hoc in mei commemorationem; fallaciam compositionis & diuisionis com-



mitti, si quod edere iussit Christus, id ab eo corpus suum dictum fuisse quis interpretetur. Verbis enim istis, Hoc est corpus meum, nihil esse commune, cum precedentibus verbis Accipiendi & Edendi, sed hunc esse Orationis istius Dominica nexum: Vos quidem discipuli mei edite hunc panem, & facite hoc in mei commemorationem. Ego vero Salvator vester hic adsum: en hic sedet corpus meum, quod pro vobis in Cruce traditurus sum.

XXIII. Hereticorum sententias reuelasse, perinde esse quispian ex veteribus dixit, atq; easdem refutasse. Quod vel maximè de hoc furore Carolstadij dici queat: Ausus est tamen ille rationibus in medium allatis pro eo defendendo contendere. Reasonibus autem usus est tribus, sanè tali furore quàm dignissimis.

1. à punctuatione. Nam verbis istis, Hoc est corpus meum, prefixam esse notam puncti periodici.

2. à nota literarum, quæ fronti horum verborum data sit maiuscula. Igitur orationi huic cum precedente nihil commune esse.

3. à regula Grammatica. Nam quia adiectiuum pronomen τῆτο, masculino nomini Panis in genere non conueniat: planissimum esse, orationem illam τῆτο, ad precedentem, in qua fiat mentio Panis, non esse referendam.

XXIII. ἀνασχῶν Lutheri sequentibus constat capitib.

1. ἐνφώνημα: dolendum, eo usq; humanam audaciam furoris progredi, ut Verba ista Testamenti Christi tam fædè discerpere, & in scopas quasi dissolutas redigere ausit.

2. ἄσχετος: Vix probabile esse, quin vel contra testimonium propriæ conscientie: velex mera atq; extrema desperatione tam improbè in re seria aduersarius ludat.

3. Canon Interpretationis, & analogia fidei. Cum nullus articulus fidei sit, cum quo continua orationis series pugnet: impietatis esse, διὰ τὴν πῆξιν τὴν ἁγίαν & ad monstruosam istam rupturam orationis se conuertere. Ἰπὶ



4. Ἐπιπληξῆς, Rem tanti momenti, talibus λίπυλογοῦ-  
μασι & φλυαροῦσφίαις superstruere, nimis stolidum esse.

5. A distributo ad non distributum vitiosè colligi:  
Puncta aliquando diuersitatem orationis notant. Igitur idem  
fit etiam in presenti loco.

6. πὰρὰ τὸ μὴ αἰτιον ὡς αἰλον: Maiusculas non semper  
noue orationis notande cause: sed dignitatis rerum signifi-  
canda, aut memoria acuenda gratia apponi.

7. πὰρὰ τὸ σχῆμα τὸ λέξεως. Vocabulū n. τῆτο est δεικνυκόν  
materie presentis, non relatū ad genus precedentis nominis.  
Quod vsitato ἑλληνισμῶ fieri, pueris etiam non ignotum est.

8. τὸ ἀτοπον ἢ ἀδύναλον. Si enim in priori hac parte ver-  
borum Institutionis, interpretatio ista admittatur: in poste-  
riori, de Calice & Sanguine Christi, aut nulla, aut non nisi  
absurdissima interpretatio dari poterit.

9. Et quæ hic ερεβλότης foret in oratione Christi, si is  
in cursu orationis continuo, vno & eodem temporis momento  
de rebus diuersissimis, discipulorum sc. suorum manducatio-  
ne, & corporis sui sessione locutus fuisse, tandem rursus per  
saltum ab materiam presentem reuersus esse fingeretur, cum  
absoluta ἐπιμφολῆ peregrina, manducationem in sui recor-  
dationem faciendam esse subiunxit?

10. Deniq; analogia rerum presentium in hac causa  
etiam repugnat.

Porrecto enim pane, cum edere eos iubet, solidioris sub-  
stantia facta mentione, & cibo prorsus analoge, id corpus su-  
um esse dixit. Exhibito vino cum bibere iubet, analogia re-  
rum iterum obseruata, sanguinem suum id esse affirmavit:  
quod facturum nunquam fuerat, si esus illius potusq; rationem  
his ipsis verbis explicare animus illi non fuisset, idq; in mensa  
precipue, et medio q. cæna conuiuio. Haçtenus prior ἀνασκωδῆ.

XXV. καλασκωδῆ Lutheri, de presentia Corporis & san-  
guinis Christi in cæna Dominica, testimonia firma continet,  
eag.



eaq; omnia ἐστὶν ἑαυτῶν. Quorum primum ab analogia partium Sacramenti desumptum est.

Matt. 26.  
Marc. 14.  
Luc. 22.  
1. Cor. 11  
Partium Sacramenti ab Euangelistis tribus & Aposto-  
lo uno fidelissimis Spiritus sancti amanuensibus descriptarum  
neesse est, mutuum esse respectum, & exactissimam quan-  
dam analogiam, ita, ut quem sensum pars habet una, is al-  
teri & necessario congruat.

Atqui posterioris partis ea est apud istos omnes descri-  
ptio, qua & continuum orationis nexum, & manifestam  
Sanguinis Dominici in calice benedicto exhibitionem liqui-  
dissime demonstrat.

4 priori  
Igitur ut continua etiam sit orationis in parte series, &  
Corporis Dominici in pane benedicto certa exhibitio, necessa-  
rio consentaneum est.

1. Cor. 10  
XXVI. Quadruplici isti testimonio, secundo loco Pau-  
li ad Corinthios alius textus subiungitur: Calix benedictio-  
nis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Chri-  
sti? & panis, quem frangimus, nonne communicatio cor-  
poris Christi est? ἐγγύατια huius loci primum est.

Συγολυγὴ 1. Fulminis instar locum hunc esse aduersus Sa-  
cramentarios Lutherus pronuntiat, quo vel solo p̄j firmari,  
aduersarij omnes confundi possint.

2. Cordis sui in tentatione, quam de hac controuersia  
sustinuerat, viam medicinam fuisse hunc locum Apostoli-  
cum, Lutherus pronuntiat.

Secunda loci huius tractatio ἐνδυμναλυγὴ est.

1. Panis est communicatio corporis Christi, inquit  
Paulus, externo organo tribuens communicationem corpo-  
ris Christi. Friuolum igitur & fanaticum est, quod immen-  
sione sua καὶ ὑπεροπεωδία sua vsi Sacramentarij, Fidei inter-  
na hoc acceptum ferunt.

2. Panis est communicatio corporis Christi. Falsum  
ergo fuerit, quod beneficiorum, passionis atq; efficacie corpo-  
ris



ris Christi participatio in Cæna à nonnullis fingitur. Quod si panis etiam horum bonorum communicatio foret, sequeretur, Iudam etiam atq; impios morte Christi participare. Quod est longè absurdissimum.

3. Fractio distinctionem in Scriptura significat Esai. 58. Thren. 4.

Improbè igitur faciunt Sacramentarij, qui frustulationis manuarie necessitatem ex hac metaphora eliciunt.

4. Panis quem etiam nos frangimus, inquit Apostolus, est communicatio corporis Christi. Caret igitur fundamento Carolstadij hypothesis dicentis, Si maxime in prima Cæna Christus corpus & sanguinem suum distribuisset: non tamen eandem fore sequentium etiam temporum rationem.

5. Panis est communicatio corporis Christi. Comedunt autem panem etiam indigni. Igitur corpore Christi communicant. Quod si spirituali communionem non participant isti, ut sanè minimè participant; tertiam aliquam atq; intermediam corporis Christi communicationem ostendunt nobis Sacramentarij, quia Sacramentalem non concedant: cum nobis præter duos illos participandi corpore Christi modos, tertius non sit cognitus: Et tum non panem corporis, sed panem panis communicationem esse dicunt.

Ultima huius loci tractatio est *περολημαλική*. Si enim hæc Pauli mens est, cur non nude dixit panis, quem frangimus, est corpus Christi? Resp. Ut sub sua quemq; portione ex fracto pane, corpore Christi participare ostenderet.

XXVII. Testimonijs allatis Lutherus pro confirmanda corporis Christi & sanguinis presentia in Cæna Dominica, I. Cor. II. porro alium Apostoli locum adiungit, qui sic habet, Quisquis manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Hic locus *ἰλεγκλικός* à Luthero consideratur, idq; Bisariam, ex parte  
C scil. sub.



sci. subiecti & predicati, qua utraq; depravationi Sacramentarium erat obnoxius.

1. Depravatio ex parte subiecti talis est. Indignam manducationem illi interpretantur, vitiosam commemorationem passionum & mortis Dominica, ut indignè manducare simpliciter idem sit, quod Mortem Domini non piè annunciare: Cui peccato demum ab istis reatus ille, de quo Apostolus verba facit, tribuitur.

In hac depravatione Lutherus primum rursus notat Spiritus Sacramentarij preposteram *ερεβλότητα*. Nam quod Apostolus de externa actione manducationis & bibitionis dicit, hoc illi ad internam infidelitatis labem simpliciter relatum volunt.

2. Fallaciam *ἡ συμβεβηκότῃ καὶ παρὰ τὸ πῆ καὶ ἀπλῶς* annotat. In verbis Pauli duo sunt 1. actio, eaq; non una, sed duplex, manducatio sci. & bibitio 2. modus seu qualitas rei siue actionis, quae est indignitas: quae qualitas absolute considerata, infidelitatem quidem & contumeliam in Christum significat. Verùm hac qualitas actionem hic determinat, Manducationem sci. & bibitionem. Quod igitur indigna manducatio pro infidelitate simpliciter à Sacramentarijs capitur: modus rei cum re ipsa, & qualitas cum actione confunditur.

3. τὸ ἀνακόλουθον considerat. Si subiectum de interna solum indignitate accipiendum est, sequitur, non nisi uno modo peccatum indignitatis committi posse: quia una eius peccati forma est. Atqui Apostolus duplicem hic peccati formam exprimit, unam quae manducando, alteram quae bibendo indignè fiat. Igitur indigna manducatio & bibitio cum indignitate ipsa non simpliciter atq; absolute unum est.

Altera depravatio fit ex parte predicati: Reatum enim corporis & sanguinis Domini, simpliciter pro Christi contumelia accipiunt Sacramentarij, & corpus ac sanguinem Christi



Christi à pane & vino longissimè seiungunt, Contra hanc corruptelam sic argumentatur Lutherus.

1. Reatus corporis & sanguinis Christi in cæna contrahitur. Igitur illic presentia esse necesse est.

2. Manducando panem indignè, reatus corporis: bibendo calicem indignè reatus sanguinis Christi contrahitur. Igitur cum pane corpus, cum calice sanguis Christi accipitur.

3. Qui non piè commemorat mortem Christi, non corporis, aut sanguinis Christi seorsim reus, sed in Christum totum sit iniurius. Ergo reatus iste, cum hoc Sacramentali, qui indignè manducando & bibendo bifariam committitur, prorsus non conuenit.

XXVIII. Vltimus locus ex eodem Apostolo desumptus est, qui sic habet: Qui indignè manducat & bibit, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ex quo sic argumentatur Lutherus Iudicium, de quo Paulus loquitur non contrahitur, nisi ex reatu corporis Christi.

Iudicium illud manducando contrahitur.

Igitur corpus Christi manducatur.

XXIX. Vltima pars exercitus Carolstadiani manipulo furum, id est, ijs probatiunculis constat, quæ ex dictamine rationis humana sunt depromptæ. Quæ quamuis præteriri queant in hoc mysterio, tanquam responsis indigna: cū per excusas tamen breuiter singulis respondetur.

XXX. Primum  $\kappa\epsilon\upsilon\omicron\sigma\acute{o}\phi\iota\sigma\mu\alpha$  sic habet: Si in Cæna panis est corpus Christi: panem pro nobis traditum, crucifixumq; esse consequitur.

Item Christus dicit esse corpus suum, quod traditur se, in mortem. Atqui tum non tradebatur in mortem: sed in cruce demū. Igitur corpus Christi participari in cæna malè dicitur.

1. Respondet Lutherus, errorem esse  $\tau\omega\alpha\gamma\alpha\ \tau\omicron\ \epsilon\pi\omicron\mu\epsilon\nu\omicron\nu$ . Si naturaliter panis esse corpus Christi diceretur, tum sequeretur collectio. Atqui id nemo dixerit pius. Falsò igitur sic colligitur.

Copy Christi pendit  
in cruce  
Panis crucis: siq; e  
copy Christi  
pendit in cruce  
Licitata majora  
Christi, ~~panem~~ pep  
dis, negatur in  
Alii respondens, m  
joem cepit dicit  
de omni, qd opus  
dicit, unde quæd  
copy Christi pendit



2. ἐν τῷ ἀγνῷ τοῦ ἀγνῷ τοῦ ἀγνῷ. Ioannes dicit de Christo,  
Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Atqui ea tum  
Christus non tollebat: sed in cruce demum. Hoc igitur mo-  
do colligendi sequetur, Christum tum falsò predicatum fuisse  
Ioha. 10. à Ioanne agnum Dei, qui tollat peccata mundi. Item  
Christus dicit, Ego sum bonus pastor, quia pono animam me-  
am pro ouibus. Atqui tum in synagoga Iudaica versans,  
nondum ponebat animam suam pro ouibus. Igitur bonus  
pastor verè dici non potuit. Similia dicenda forent de alijs  
dictis, Ego do istis vitam aeternam: Ego sanctifico me pro  
Ioha. 19. ipsis &c.

3. τὸ βιάιον. Si verba ista Cæna respiciunt corpus  
Christi sedens: hac vi collectionis sequitur, Christum pro no-  
bis non esse crucifixum: quia sedens corpus, crucifixum pro  
nobis dici non posset. Sin hinc temporis differentia admitti-  
tur, ut nunc quidem sedere corpus Christi: postea verò suo  
tempore crucifigi dicatur: cur istic idem responsum valere  
non possit, ratio nulla ostendi potest.

4. Ferrum candens vulgò merum ignem esse dicimus:  
& tamen nemo tam absurdus est, ut vnus essentia in alte-  
ram factam permutationem putet: sed hac phrasi diuersa  
essentia artissimè iuncta esse significantur. Quid ni idem  
in Cæna negotio locum habere queat? Sic cum de homine  
Christo predicatur, quod Deus sit, naturarum non tolli-  
tur discrimen: sed unio artissima significatur, qua talis est,  
ut ubi homo est, ibi sit Deus: & vice versa: Deus quidem in  
homine corporaliter: homo autem in Deo propter gratiam  
unionis personaliter.

5. ἐπιπρόσθετος: Rectius longè facerent isti fanatici,  
si omissis rationis suæ argutijs, vel simpliciter in fide omnipo-  
tentis ac veritatis diuinæ acquiescerent: vel si argutari  
omnino ipsis liberet, ex more Scripturarum & proprietatibus  
linguarum istud facerent: vel ad figuram saltem Synecdo-  
ches se



ches se reciperent, qua fieri consuetum est, ut rebus duabus intellectis, una tantum eaq̄, prestantior exprimatur.

XXXI. Secundum *παρεῖσαγμα* rationis sic habet: Christus iussit panem comedere. Igitur corpus Christi in cœna non prebetur. Huic primum Lutherus simplicem ἀρνησιν opponit. Nusquam iubemur panem comedere. 2. καὶ ἄφασι corpus suum iussit comedere. 3. ἀπόδειξιν: dixit enim, accipite, edite, Hoc est corpus meum.

XXXII. Tertia *καὶ ἀλογία* sic habet: Christus dixit, *Ioha, 6.*  
Caro mea non prodest: Igitur corpus Christi non est in cœna presens. Lutheri responsio his constat capitibus.

1. Est ἀγνοία ἐλέγχου: prodesse enim & presentem esse non unum habent ἔλεγχον.

2. Deductio πρὸς τὸ ἀδύνατον. Si sequitur, Caro Christi non prodest: Igitur in cœna corpus Christi non est: sequetur eadem ratione, idem nusquam esse.

3. Deductio ad incommodum. Si caro Christi non prodest, multo minus Panis & Vinum proderit. Igitur ne hæc quidem erunt in Sacramento, ac proinde nullum Sacramentum erit.

4. Crimen falsi: Non dicit Christus, Mea caro non prodest: sed, Caro non prodest. De carne autem sua dicit, Caro mea verè cibus est.

5. Error *παρὰ τὸ πῆ καὶ ἀπλῶς*. Caro enim isto loco non carnis substantiam significat aut naturam (hanc enim inutilem Christus non assumpsit) sed carnalem sensum. Loquitur enim ex hypothesis Capernaitarum. Perperam igitur colligitur, Carnalis sensus non prodest. Igitur caro omninò non prodest.

6. Πηλμυσις. Caro Christi non prodesse dicitur. Profit autem panis & Vinum, ab istis propositum. *Απαγε seelus & blasphemia.*



XXXIII. Quartum παραδοξον tale est. Christus dicit, Esse corpus suum, quod frangitur. At fractioni id non fuit obnoxium. Fractionis ergo voce intelligitur eius passio, ut huius fructus, non corporis manducatio nobis promitti videatur.

Lutherus 1. negat interpretationem esse ἀλόγον Scripturae. Nam frange rede externa passione nuppiam accipitur.

2. ἀπεσδιόνυστον. Quid enim ad rem, quod Christo os nullum fructum fuit?

3. Atqui fractionem de distributione intelligendam esse, supra iam admonitum est.

4. ἐπιφορὰ. Quod si distribuitur corpus: praesens ut sit, necesse est.

5. προκαταλήψις. Quod enim pro nobis frangi dicitur: fructum passionis & beneficiorum in cana esse requirendum ostendere voluit.

XXXIII. Quinta huius tractationis parte Mendacium committitur: Insimulantur enim nostra Ecclesia, quasi in his doceatur Salus & remissio peccatorum esse ex frusto panis. Cui mendacio simplex negatio sufficit. Ut tamen pateat innocentia nostra doctrinae, Non pani, sed verbo Dei tribuitur, quicquid ex Cæna fructuum nostris hominibus proponitur. Et ut magis pateat calumnia, tam non nudo panis salutis attribuitur, ut ne corpus quidem & sanguis Domini hac in parte prosit, imò ne Christus quidem etiam in cruce cum omni sua passione atq; morte, etiam deuotissime consideratis, si absit verbum, si verbum inquit absit, hoc est, promissio, quae nos de voluntate Dei certos facit.

2. De peccatorum autem remissione bifariam docetur. 1. Quomodo ea primum impetrata, & quibus meritis parta sit. 2. Quomodo nobis applicetur. Illud in cruce factum est: hoc fit in verbo atq; Sacramentis. Quod si hanc ergo appeto, hinc mihi requirenda est: hic enim distribuitur propter vim verbi ac promissionis, quae tanta est, ut si nudus etiam panis verbo isto instructus sit, inde abesse remissio peccatorum non possit.

Ultima



XXXV. Ultima φλυαρολογία tale est. Christi corpus in ultima Cæna fuisse mortale: nunc immortale esse: proinde pro nobis dari, ac consequenter distribui non amplius posse. Quod si nunc corpus Christi non exhibetur: ne tum quidem in prima cæna fuit exhibitum: quia eadem cum illa prima nobis hodie etiam Cæna est.

Capita responsionis Lutheranae hæc sunt:

1. Corpus Christi semel traditum est: sanguis semel fusus est.
2. Efficacia autem huius, nullius nec temporis vel loci est propria: sed est omnium temporum.
3. Mihi igitur traditur, tibiq; corpus Domini, nobis sanguis eius funditur, cum eius in verbo & Sacramentis sit distributio.

XXXVI. Reliqui leuioris armaturæ milites sunt, & fanatica obiectiones, quas paucis Lutherus perstringit.

Si in Cæna esset corpus Christi, calo descendendum illi atq; ascendendum esset: Atqui in calis est, usq; ad consummationem seculi. Resp. Non fieri descensum, neq; opus eo esse. Vidit Stephanus Iesum, sed non calo egressum, verum stantem à dextris Dei. Nec ratio regni Christi à fanaticis intelligitur, qui in omnibus locis est, & teste Paulo, omnia implet.

2. Matth. 16. Christus variatione subita Petra & Petri utitur. Igitur in Cæna etiam verbis rerum est diuersitas. Res. Posito illo, non hoc in rebus disparatis sequitur. Atque orationis utrobique ingens etiam est diuersitas.

3. Matt. 24. dicitur. Si dixerint, hic aut illic est Christus, nolite credere. Lutherani dicunt illud Hic de Cæna. Igitur illis non est credendum. Re. Differunt hæc duo, si de Christo loquar in concreto: & si de corpore & sanguine Christi loquar. De toto Christo, eiusq; regno male dicitur, Hic vel illic est: non enim venit regnum Dei cum obseruatione: personis sci. locis aut temporibus alligatum: sed intus in nobis est. Quamuis hinc non sequitur, Christum nullibi: sed potius ubiq; esse & omnia implere.

De



De corpore autem Christi rectè dicitur, Id in cœna esse, non quidem cum obseruatione, quasi circumstantijs loci, temporis &c, alligatum: sed voluntate Christi ac promissione, qua est liberrima & certissima.

XXXVII. Colophonis loco notanda sunt ex libro Lutheri regule, aphorismi, theoremata & vaticinia, qua magnum in Theologia usum habent.

1. Vaticinium de Sacramentarismo. Diabolus nondum prorsus in publicum prodijt: habet adhuc aliquid in recessu, quod dudum olfeci: id proferatur in lucem, cum Deo visum fuerit.

2. Pro libertate Christiana non minus, quàm pro articulo fidei est pugnandum.

3. Principium Sacramentarismi est, Non possum credere, quia ratione non comprehendo.

4. Ad Sacramentarismum profitendum non est opus Spiritu sancto: sed cuius natura ipsa sufficit.

5. Omnes articuli fidei captum rationis humana superant.

6. Si quid credendum Scriptura proponit, τὸ πάντων semper in verbis retinendum, nisi expressus & manifestus articulus fidei contrarium cogat.

7. Fides non apicibus aut punctis niti potest: sed pro fundamento, clara, perspicua, expressa Scriptura verba requirit.

8. Si quis opinioni humana superstruere articulum fidei audet: is nihil non in Religione ausit.

9. Regulis Grammaticis fides in religione non niti potest.

10. Etiam manifestis Scriptura dictis instructi vix aduersus Diabolum consistimus: quid sine istis nobis futurum sit?

11. Ratio scortum est Diaboli.

Natus



12. *Natiua lingua est Regina in Interpretatione  
Scripturae.*

13. *Si totus mundus doctrinam nostram de cœna im-  
probet & reijciat, hoc floccifaciendum est. Mirum enim  
non est, multos in hac materia errare: Mirum potius est,  
aliquos superesse, qui de ea rectè sentiant, quantumuis paucos.*

14. *Sophisticis suis argutij Sacramentarij paulatim  
eò deuenient, ut negent Diuinitatem Christi. Qui enim ne-  
gat Panem esse corpus, eadem facilitate negabit, Hominem  
esse Deum. Rationi enim utrumq; pariter est credibile.*

15. *De Sacramentismo idem quod de Arrianismo  
dici potest, quod Credentibus incredulitatem: incredulis cru-  
delitatem asserat: Et Epicurismum manifestum pariet nobis.  
Vix enim timor & reuerentia conseruari hæctenus potuit,  
dum verum corpus Christi in cœna esse creditum fuit. Quid  
fiet, si panis & vinum duntaxat in cœna esse mundo  
persuadebitur? Deus nostri misereatur, erran-  
tes conuertat, nos conseruet.*

*Amen.*

**F I N I S.**



I E N A E  
E X T Y P O G R A P H I A  
T O B I A E S T E I N -  
M A N N I ,



Anno Epochæ Christianæ

---

M. D. LXXXIX.



LENAE  
EX T. P. O. G. R. A. P. H. I. A.  
T. O. R. I. A. E. S. T. E. I. N.  
M. M. M. M. M.




ANNO DOMINI MDCCLXXXIX

XIX









AB 22 841 (1)

ULB Halle 3  
002 043 793




Sb.

1019

Hilf.









27.

SYNOPSIS ANALYTICA

LIBRI CONTRA  
COELESTES PROPHE-  
TAS, QVEM REVERENDVS  
PATER D. M. LVTHERVVS IN CAV-  
sa Sacramentaria scripsit. In forma thesium propo-  
sita, ad quas in solenni publica disputatione  
sub auspicijs Seruatoris Christi

*Præside*

GEORGIO MYLIO,  
S. THEOLOGIAE DOCTORE  
& Professore publico, atq; prò tempore Re-  
ctore, & facultatis Theologicae De-  
cano,

*Respondebit pro summo in Theologia gra-  
du consequendo*

M. BERTHOLDVS  
STARCK MVLHVSINVS, ECCLIE-  
siæ Thomæpontanæ pastor, die XX. Septem-  
bris hora & loco consuetis.



I H E N A E

Tobias Steinman imprimēbat, anno 89.

*Accipi 20  
Octob: 158*

